Romer Casimiri: Oratio funebris in obitum d. Petri Firlej.

Oratio Funebris
IN OBITVM
Illustrissimi & Amplissimi Domini,
D. PETRI FIRLEY,
à DĄBROWICA,
Palatini Lublineñ. Parcouiẽ. &c. &c. Capitanei.

AVTHORE

CASIMIRO ROMER, Eloquentiæ in Academia Cracouieñ. Studioso. Parocho [illegible]

I. a.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographicâ Matthiæ Andreouiensis, Anno Domini, 1619.

Eruditione, virtute et moribus, Excellenti Domino Adamo Draskyi ac Philosophiæ Magistro, etc. etc. D. [illegible] in [illegible]

LAudationem hanc funebrem, vitam, mores, & mortem Illustrissimi & Magnifici D. PETRI FIRLEY, Palatini Lublinen. breuiter continentem Typis mandari permitto.

M. IACOBVS IANIDLO, I. V. D.
Can. Sand. Acad. Crac. Procanc.
& Generalis RECTOR.

In Arma Illustriss. Familiæ FIRLEIANÆ.



QVid sibi Stemma notet? Leopardus in ardua tendens,
Cùm pedibus nixus scandere ad astra cupit.
Pro Patriâ semper vigiles, & robore fortes,
Hæc fera, FIRLEIOS, enituisse docet.
Si Leoparde feræ possent polum, & astra mereri
Iam pridem dignus, tu Leoparde Polo es.

Illustribus & Generosis Dominis,

D. STANISLAO, & D. PETRO, D. NICOLAO, ac D. IOANNI, FIRLEIS.

Illustrissimi piæ memoriæ Domini,

D. PETRI FIRLEY à DĄBROWICA,

Palatini Lublinen: Parcouien. &c. &c. Capitanei.

MAGNÆ SPEI FILIIS.

DEPLORANDA *ista quam ex obitu Illustriss. Domini, D. Parentis vestri accepistis acerbitas,* ILLVSTRES & GENEROSI DOMINI, *me quoque in luctum coniecit. Etenim cuius antea virtus, & admirabilis integritas, ad hominum famam, & existimationem profluxerat, eiusdem inopinatus occasus facilè omnium consternauit animos. Utinam verò, neque vos ita lacrymis grauis mæror afflixisset, neque ego istam malè comptam dictionem, morienti potiùs quam*

quàm viuenti destinâssem. Sed quoniam ea est, rerum humanarum conditio, vt læta tristibus, dulcia amaris, temperentur, parere tempori decreui, atq; Illustrissimum, Parentem vobiscum simul, hâc oratione ad vltimum vsq; rogum prosequi. Est cur doleamus omnes, cum eo enim funere, pietatem simul, insignem amorem Patriæ, prudentiam singularem, videmus efferri: meum in vos propensissimum studium, liberali vestrâ humanitate, & beneuolentiâ excitatum & nutritum, eam mihi extorsit scriptionem, in quâ etsi verborum grauitatem, sententiarũ maiestatem, vt â Tyrone frequentius, cultum & obseruantiam, vt à Domus vestræ inclytæ deditissimo, nunquam requiratis. DEVM OPT. MAX. *rogo, vt vos ex isto luctu erectos, in maiorem Augustissimæ Familiæ splendorem, Patriæ charissimæ ornamentum, seruet diu incolumes, & florentes. Datum è Contubernio Hierosolymitano, XVIII. Sept. Anno Domini, 1619.*

Illustribus ac Generosis D. D. V. V.
Obsequentissimus.

CASIMIRVS ROMER.

gradu videant definissem. Sed quoniam ea est, rerum humanarum conditio, ut laeta tristibus, dulcia amaris temperentur, parere tempori decrevi, atque, Illustrissimam Parentem nobiscum simul, hac oratione ad ultimum usque rogum prosequi. Est cur doleamus omnes, cum communi funere, pietatem simul, insignem amorem Patriae, prudentiam singularem, videmus efferri: meum in vos propensissimum studium, liberali vestra humanitate, & benevolentia excitatum & nutritum, cum mihi extorserit scriptionem, in qua etsi verborum gravitatem, sententiarum majestatem, ut à Rhetore frequentius, cultum & observantiam erga Domum vestram inclytam dedito [illegible] nunquam requiratis. DEUM OPT. MAX. rogo, ut vos ex his luctibus erectos in majorem Augustissimae Familiae splendorem, Patriae charissimae ornamentum, servet diu incolumes, & florentes. Dabam è Contubernio Hierosolymitano, XVIII. Sept. Anno Domini, 1619.

Illustribus ac Generosis D. D. V. V.
obsequentissimus.

CASIMIRVS ROMER.

Oratio Funebris.

QVonam meo fato fieri dicam, vt in quem paulò ante Oratione meâ celebrãdum maiori cum impetu ferebar: is ſubitò ex oculis meis ereptus, lamenta & querelas ſuggerat. Quis non miretur, vel potiùs non vereatur, rerum humanarum inconſtantiam, ſi toties cogitationum & conſiliorum noſtrorum, ſpes eludũtur? Nuper aſpicio, in ipſo robore & maturitate, florentem honoribus virtutem, ſummi in Republicâ viri PETRI FIRLEY, Palatini Lublinen: propono mihi meisq; ad imitandum, perfectiſſimum exemplar, obſeruo diuini decoris lineamenta, quà priuatim, quà publicè ſplendida, depromo ſtylum, & ecce ſol iſte ſubtrahit radios. Quanta quis crederet ex vnius hominis obitu, in familiam nobiliſſimam, in prouinciam ampliſſi-

pliſſi-

plissimam, in Rempublicam florẽtissimam, consternatio. Conqueritur illustris soboles subtractum sibi, ad domesticam gloriam ducem, & præcessorem, desiderat clarissimus nobilitatis ordo, lucis suæ propagatorem ac conseruatorem, luget clientum, ac seruorum turba, patronum ac defensorem, Respublica vniuersa, dignitatis suæ vindicem, & amplificatorem extinctum dolet. Quid ego? Solus sine lacrymis, in tanto luctu omnium versabor, cuius animus in diuini istius viri beneuolentiâ, & patrocinio cõquiescere destinauerat? Nec sum adeò saxeus inter tot acres dolorũ stimulos, vt possim, nec eâ affectus in excelsam virtutẽ, voluntate, vt velim. Sed cũ nullis ille hominũ votis, nullis querimoniis, iterũ in lucẽ reuocari queat, vertã me ad cõsolationis inquisitionẽ. Quæ cum in maximis virtutibus illius lateat, conabor eas in apertum proferre: sic leuationem ægritudini, sic eloquẽtiæ amicus materiam exercitationi aptissimã, me inuenturum spero. Non enim totus

tus ille extinctus eſt, ſed corpus, vt conditio naturæ illius ferebat, viuere deſiit, animus autem, & rerum eius in corpore geſtarum gloria, multorum aures peruagata, vitam incipit viuere illam admirabilem, quæ poſteritatem alit, æternitatem intuetur. In huius ego ſplendorem, cuperem diuini alicuius Oratoris vim effundere; ea enim eſt amplitudo & materies in eo illuſtrium heroũ exemplo, vt omnem ſuperet illuſtris & magnificæ, Orationis apparatum. Quod ſi rudiori penicillo præſtantiſſimi Viri maieſtatem obſcurauero, data tyroni venia, laudatam ſemper in magnis rebus, vel incæptionem, fauore ac beneuolẽtià veſtrâ, Illuſtres ac Generoſi Viri promouete.

Atq; in primis, cùm altiſſimarum virtutum proprius ſit locus in nobiliſſimis familiis, quæ cùm patrimonijs imagines, & ornamenta animorum, cum ipſo ſtatim ſanguine tranſfundunt in poſteros, ex quantâ cenſetis claritate, ortum eſſe admirabilem

hunc virum, qui vndiq; clarissimarũ actionum radios proiiciebat. Est in excelso Reipublicæ istius loco, antiquissima Domus FIRLEIORVM, quæ stirpem vltra trecentos annos propagat generosam; ex quâ Senatorum subsellia, Equitum dignitas, Sacerdotum amplitudo, continua & splendidissima semper habuit ornamenta, quæq; per fortissimos Viros, celeberrimos Imperatores, potentissimos Duces, cognationis & affinitatis suæ ramos extendit latissime. Non est necessè, me tanquam ex catalogo, longiùs recensere lucidissima, fortissimorum & sapientissimorum Leopardorum exempla: quæ magna in luce Patriæ collocata, disertissimorum scriptorum ingenijs celebrata sunt. Quis enim non nouit PETROS, NICOLAOS, IOANNES, ANDREAS, domi forisq; factis immortalibus splẽdidissimos ex hâc gente Viros, grauissimos Iudices, Sapientissimos Palatinos, moderatissimos Castellanos, felicissimos Imperatores, qui vt

olim Romanorum Decij, in confertissimos sese hostium exercitus immittentes, postquam terrore omnia compleuerunt, memores Sarmatici nominis, & gloriæ, pro salute communi toties se paratissimas victimas obtulerunt. Horum animos horrendus orbi Baiazetes fugiebat, horum impetus Tartarorum latrocinia, vt sibi fatales nimiùm declinabant. Sed nec consilij grauitas, & præstantia multis literis & peregrinationibus quæsita defuit FIRLEIS: quid opus est virorum inductione, si vbiq; hoc est. Cæteros fieri, FIRLEIOS nasci sapientes. Ex hâc tam refertâ semper nobilissimis viris familiâ, prodijt is quem lugendo admiramur. PETRVS Palatinus Lublinen: qui ad IOANNIS Palatini & Capitanei Cracou: Patris sui, maxima decora plurimùm nouæ lucis, ex proprijs virtutibus adiecit. quippe naturæ ipsius bonitas, eam vultui, oculis, vniuersoq; corpori, dignitatem impresserat, vt quiuis cognosceret Principis Senatoris,

 ex Ge-

ex Generosissimâ BONARORVM gēte, Principis matronæ filium. Ea oris vultusq́; lineamentorum conformatio, ea corporis fuit pulchritudo, vt ex ipso aspectu significatio quædam ingenitæ virtutis, Senatorij decoris, humanitatis, mansuetudinis, liberalitatis, nec non splendidioris honestatis emicaret. Ingenium sortitus diuinum, ad quæq́; honestissima sponte ferebatur. Vt quemadmodum in herbescenti segetum viriditate, certa spes futuræ messis apparet, sic in magnâ indole pueri, qualis postea futurus erat, facilis esset coniectura. Non ille generis solâ excelsitate elatus, ocio quod est pestis iuuenum at labori qui est gloriæ parēs, totum se consecrauerat. Ætas enim illa imbecillior sapientissimorum parentum consilijs innixa, nihil adeô atq́; sanguine suo indignum fugiebat. Ducebatur sæpius vt Papyrius alter, in Senatum, in deliberationes grauissimarum rerum, vt iusticiâ, consilio, prudentiâ, reliquisq́; virtutibus, ciue bono dignis-

digniſsimis, á primis ſtatim vnguiculis imbueretur: ſuisq́; curioſis, ingenium tamen ſignificantibus interrogatiunculis, grauiſsimum parentem recreabat. Vt verò cùm ætate florẽtiori, florere quoq́; pulchrius cæpit, in alienas terras, cum moderno Reuerendiſsimo Epiſcopo Plocenſe, ſuo germano miſſus eſt. Solet enim in magnâ etiam diſciplinæ, ſeueritate, Principum iuuentus adulationibus miniſtrorum, ab illa directâ virtutis ratione, ad omnes iucunditatum illecebras deflectere. Iuit ergo nobile pignorum paternorum par in Germaniam, Italiam, Galliam, aliasq́; remotas terras, quæſitum ſuæ Ciuitati, quam plurimas & preciosiſsimas diuitias. Quocunq́; ſe conferebat lumen illud iuuentutis, in magnam admirationem rapiebantur populornm animi, ætas enim fuit adoleſcentiæ, ſermones & facta virorum. Nihil ſuſpiciebant, quod non eſſet, cum dignitate coniunctum, audiebant nihil, quod non ſuæ Reipublicæ, ali-

quando eſſet profuturũ, ſi quid erat in laude militari illuſtre, ſi quid in re ciuili florẽs, ſi quid in Eccleſiâ ſplendidum, ſingula notabant, obſeruabant, vt aliqui Romanorum Cornelij aut Æmilij. Quapropter in Patriam cum veniſſent deſideratiſsimi, cum honoribus maximis, à Principe, & Republicâ quærebantur. Quis enim non amaret illam diuinam mentem, atq; virtutem iuuenum qui in Patriæ ſalute, atq; dignitate, omnia ſua ſtudia, primo ſtatim tempore collocârunt. Quanta in vitæ ratione temperantiâ, in actionibus ciuilibus, & domeſticis induſtria, in officijs ſibi commiſsis dignitas. Et Illuſtriſsimus quidem Dominus, D. HENRICVS Eccleſiæ vſui, & ornamento ſe deuouerat. NOSTER hic Palatinus, & domi, & foris Ciuẽ Reipublicæ natum, memorem ſui nominis, imitatoremq; Maiorum, ſe præſtare voluit. Vita quippe periculis circumdata, cui comes eſſet gloria, magis capiebatur, quám domeſtico ocio, malebatq; vt alter A-

ter Achilles, per medias hostiũ acies, volitare quęrẽdo immortalitatẽ. Itaq; à maioribus accepta exẽpla, diligenti studio conseruare, conseruata præclaris gestis ornare, ornata virtutibus illustrare, illustrata ad posteros integerrimè transmittere laudabiliter instituit. Quis est qui desiderat bellicam illius industriam? Reducite vobis in memoriam, graues illas in Liuoniam, Transyluaniam, expeditiones, quæ militem illum, viribus fortem, consilio validum, ætate florentem intuebãtur. Quâ ille fortitudine, nefarios conatus hostium represserit? quâ diligentiâ, omnes dolos eorum euitârit? loquetur semper annalium vetustas. Vita in eo incendit charitatem Patriæ, vt iucundum haberet relictâ domo, relictis fortunis, pro Republicâ, quæ omnium caritates complexa est, discrimen vitæ subire, vt aliorum vitæ securitatem afferret, virtutem feliciter efferentem se, & foras emicãtem, dẽclararet. O incredibilem animi fortitudi-

titudi-

titudinem, o singularem ingenij dexterita-
tem, o inuictum pectoris robur, quod nulla
potuit conuellere, aut labefactare tempo-
rum rerumq; asperrimarum tempestas. Pu-
blicâ re bello composità, & aucta, domum
rediјt illustrior nouâ ex factis claritate, non
vt pleriq; solent fastu, ac æmulatione ela-
tus: verum cum paribus, officiorum æmu-
latione, cùm minoribus, humanitate, cùm
omnibus, fide, & animo, optimo certare
paratissimus. Atq; cùm in lucem ordinum
veniret, frequentius, opes illas ingenij sui,
summâ cum voluptate, & admiratione vni-
uersorum exponebat. Præcipua illi fuit cu-
ra innocentum, quos à potentiori insolen-
tiâ, consilijs, suasionibus, authoritate, omni-
busq; viribus defendebat; exemplo verò
suo ad seruandam legum æqualitatem co-
hortabatur. Quem enim vnquam etiam la-
cessitus læsit, de quo, quàm optimè mereri
non studuit? cui hospitalitatem non serua-
uit? fidem non tenuit? nihil detrahebat se-
ueritas

ueritas clementiæ, grauitas hilaritati, honori humanitas. Huius tam gloriosè institutæ vitæ, sociam & adiutricem acceperat, ex Nobilissimâ Wlodkorum Familiâ Heduigem, ex quâ vt fæcundissimâ vite, suscepit nō indignas se propagines. quarum flos pulcher, licet nunc funebri istâ pompâ velatus sit, reuirescet tamen & assurget, atq; hanc domus quam lugemus, ruinam reparabit nouis maximarum virtutum incremẽtis. Quis non videat ingenerosissimâ prole reuiuiscere laudatum Patrem, cuius illi non lineamenta modò corporis, sed splendidissimam imaginem animi, referunt felicissimè. Non igitur, PETRVS FIRLEY obijt? at pro se vno, tot illustres olim futuros dedit STANNISLAOS, PETROS, NICOLAOS, & IOANNES, certissimæ generositatis semina, Filias pudoris, & integritatis, viua exemplaria. Cũ enim intelligeret sapientissimus atq; optimus Pater, fundamentum esse Ciuilis societatis, rectam institutionem, ac honestam

libero-

liberorum educationem, ex se virtutis veriq; laboris documenta, tenellis adhuc ingenijs, monstrabat artium & virtutum, exercitationes. Sic commendabat, vt non existimarent sine illis nomen illustre Maiorum, futurum. Nec dubitamus, quin parẽtum vestigijs innixi, in eadem loca honoris, & gloriæ sint successuri. His enim artibus instructus, & splendidissimos Castellanatus, & Palatinatus dignitatem: ex cuius luce in maiorem cõmigrauit, est assequutus. Erat profectò plenum admiratione, spectare in Principe sellâ Senatoriâ, Virum integritate & continentiâ illibatâ, qui quesito coniugij fructu, secundas nuptias ne cogitare quidem, sed totum illi tempus honestatis, pietatis, consumebatur. Quid plura? nullam penè agendi occasionem prætermisit, hospitalitati, pauperum necessitati, templis struendis, reficiendis, ornandis, amicorum negotijs, officijs, summo cum studio & diligentiâ, semper vacauit. Neq; metuebat, vt

bat, vt alijs inseruiēdo, citius ipse extingueretur: hanc enim esse principis in Ciuitate viri personam cognouerat, quæ aliorum vsibus pateret. Atq; dum ijs virtutum luminibus splenderet, suæ in primis familiæ, vniuersæque, domui splendere voluit. Nam vt omittam liberos, quorum ipse primus esse voluit, vt alter Cato Romanus institutor, Quos secum comites habebat, propter viuum exemplar, ac sermonem solebat eos frequentius ad Dei cultum, ad omne decus, disertissimâ oratione inflammare. Suadebat autem ijs, qui aliquam literarum cognitionem haberent, vt quo ad fieri posit, suis insisterent vestigijs, lectione bonorum scriptorum, quoties ocium esset, occuparentur. Non rarò visus est, Heros optimus à suis cubicularijs, noctes diesq; in orationibus, in humi cubationibus ponere. Quid multis? si religionem in illo miramur? deuotissimum aliquem Sacerdotem putaremus. Si ocij rationem? hominem ex mediâ Acade-

miâ cum libris perpetuò agentem, ſi con-
uerſationem lumen ciuis optimi, & exem-
plum aliorum. Sciebat prudenter tempo-
ri, conſueta ſua priuata negotia, incidenti-
bus communibus, vel publicis accommo-
dare, vt effugeret omnem reprehenſionis
ſuſpicionem. Cogitate ipſius feſtorum ce-
lebritates, Viri Nobiliſsimi, cùm vel præte-
riret vel inuiſeret, domos veſtras, qui occur-
ſus, quæ deductiones, quæ lætitiarum ve-
ſtrarum ſignificationes, fuerunt, cùm in eũ
tanquam in commune perfugium, ſolati-
um, ornamentum, oculos veſtros conijce-
ritis. Quis enim reperitur? qui magnificē-
tiam ſingularem, huius Viri non aſpexit?
quem latet? quas ille impenſas, quos ſum-
ptus, in bonum commune fecit. Mauſole-
um Croſnæ, in ſempiternam nominis ſui
memoriam, conſtructum eſt, templa per
pagos pluſcula, eius liberalitate erecta ac
dotata, vicini aucti, & ornati, Coloni recre-
ati, quaſi ad ipſam beneficentiam vniuer-
ſorum

ſorum, natus eſſet: ita omnium linguis affectibus, ſtudijs colebatur, ac prædicabatur. Quot egenos inopiâ preſſos aluit? quot imbecillitati, morbi ac miſerijs, obnoxios iuuit? quot religioſorum familias, benignè habuit. Floruit ſub eo, regina omnium virtutum Iuſticia, clara apud DEVM, comperta & probata, apud bonos viros, qui vindicias innocentiæ, extirpationem improbitatis, toties illi gratulabantur. Amauit ille cùm alia honeſta omnia, tum concordiam in primis, & animorum cōſenſum, inteſtina odia, & diſcordias, capitales Reipublicæ peſtes, quæ non poterant coalleſcere declinauit. O literatorum capita præclara, quàm iucūdè ille eruditiſsimis ſermonibus veſtris fruebatur. Sed & vos quâ voluptate & attētione audiiſtis diſſerentē, quando de obſcuris, dilucidè, de confuſis, ac perturbatis ordinatè diſſerebat, eorum poſtulata libentiſſimè agnoſcebat, petentibus iuſta nihil denegabat. Si quid autem negare interdum

videbatur, ita tamen vſus eſt lenitate ſermonis, vt eos quibus negabat, placatos à ſe dimitteret. Hæc & ſimilia laudis illius ſolidiſſima fundamenta, cùm ſint innumera, nobis quidem gratiſsimâ recordatione cogitanda: Clariſsimis verò liberis, quod iam faciunt imitanda relinquo. Ex fine diſcite ante actam vitam: venerat in vrbem hanc vt attritæ publicis laboribus valetudini, ſuppetias ferret: primùm tamen cenſuit habēdam eſſe animæ rationem. Huic vbi proſpexit, ſenſim cæpit debilior fieri, Medicorum ſuaſu componit ſe ad quietem, quæ ſola plerumq; grauiſsimos dolores tollere cōſueuit? at inualeſcente morbo, mutat conſilium, vim vi ſtudet repellere? at natutæ infirmitas nō fuit par dolori. In eâ morbi grauitate, qui tunc erant ſui Collegæ, atq; amici in vrbe, ægrum inuiſerunt, vt Illuſtriſſ: Dominus D. Palatinus Cracouien: Nicolaus Zebrzydowski. Item Dominus Georgius Dux Zbarauienſis, Capitaneus Pincenſis.

Gene-

Generoſus D. Bartholomæus Nowodworſki, Eques Militiæ Melitenſis, Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani, & alij multi, quorum ille officia cõplexus, & exoſculatus, poſtquam: (& de Reipublica, & de leniēda ægritudine, plurimùm loquutiſunt) amantiſsimè eos à ſe dimiſit. Iam ſentiebat ſuum hoc diuerſorium ruinam minari, ſe in domum æternitatis vocari: alium medicū popoſcit. Hic accerſitus vt venit, peccatorum labeculam: (ſi qua humanitùs adheſærat) ipſius profundis gemitibus, & vbertim manantibus lacrymis deterſit, purgatum maculis animum, ad ſpeculum diuinæ bonitatis, & veritatis cõuertit: mirumq́; in modum ex Euangeliorum promiſsis, eſt conſolatus. Hærebat in cogitatione, æternorum temporum ferè per triduum in quâ, collecto vehementi deſiderio panis cæleſtis accipiēdi, vnum illud in ore habuit, vt quam primùm ſub tam vili ſpecie, pro ſe humilitatā maieſtatem Dei, aſpiceret. Poſtquam aduenta-

uenta-

uentare Dominum ſenſit, in quos lacrymarum fluuios, repentè fuſus eſt, in quam profundam ſuæ vilitatis cognitionem, cogitationem, demerſitque animus ille, humilitate Chriſtianâ generoſiſsimus, ſuam indignitatem proteſtatus, vt miſericordiam ſeueri iudicis queat placare. Oſculatus reuerenter Crucem, quæ præferebatur, quâ potuit in ægritudine corporis, nec nō animi veneratione, ſuſcepit in hoſpitiū cordis ſui CREATOREM, tum ab illo petere cæpit, ne ſe derelinqueret, vſq; quaq; patientiâ aduerſus dolorem firmaret animum, efficeretq; vt conformis eſſet, in omnibus ſuæ, ſapientiſſimæ & miſericordiſsimæ voluntati, ſeu viuendum ſeu emigrandum inde foret. In illo feruore, grauem ſimul effudit Orationem ad circumſtantes, vt monerent liberos timoris DEI, ſtudij in Rempublicam, laboris pro Patriâ, maximè eius, in quo poſitus ipſe erat extremi periculi. Tādē precatus à religioſis, qui aderant, vt ſe Domino diligentiùs

com-

mendarẽt, preciosissimam animam ei qui eam suo sanguine æstimauit, in manus reddidit. Et hic quidem Clarissime Senator tui cursus fuit exitus, noster verò dolor, qui Te Patrono orbati sumus. Iacentem Te intuemur, qui multos iacentes erigere, & exanimem, qui exanimatis, animum reddere consueueras, vitâ carentem, qui vitæ subsidia benignissimè ac liberalissimè subministrabas. Heu Collegiũ Senatus, quám graue vulnus accepisti? Heu Ecclesiæ Ordo, quantum patronum amisisti? Vir erat omni genere, ac laudum cumulatus, insigne speculum religionis, excellens ornamẽtum literarum, illustre domicilium virtutũ, firmissimum præsidium, & columna nobilitatis. Meritò lacrymis omnium nostrum oculi madent? Sublata enim est nobis lux, cuius splendore illustrabamur, detracta corona capitibus nostris, vnde ornamenta capiebamus, erepta anchora, quâ spes nostras fulciebamus. Occidit sol tuus alta FIRLE-

IORVM Domus, pulla & lugubris veſtis, quaſi nubes texit omnia: ſuſpiria, gemitus, lamentationes, vndiq; te circumuolitant. Tu veró contra iſtas fortunæ tempeſtates, ſta vt ſoles firma, qui te in eas contraxit anguſtias, qui in te eam immiſit nubem, idem ex alto eſt recreatus, magnitudine animi tui cōpenſabit iacturam, erumpente mox claritate dignorum Patre, Filiorum: quanquã & ille; ſi præſto nunc fuerit, gemitus Veſtros releuaret. Viuit enim vitâ multo ſplẽdidiori, cum DEO ſuo, quem vitam ſuam credit, & vitam amauit. Viuit & nobiſcum, & viuet rectè factorũ ipſius memoria, ſempiterna. Quod enim ſolubile fuit, naturæ redditum eſt, quod autem propriâ virtute, meritis in Patriam, facilitate, & humanitate, in omnes comparatum eſt, nunquam poteſt in mortis venire poteſtatem.